

Phæn. IV.

ratus flatus, posteaquam vesicas omnes successive inflasset, mediantibus cæteris potentiis tandem pondus Z non commovit solum notabiliter, sed ad altitudinem satis sensibilem subtraxit; quæ major adhuc & sensibilibior multò fuisset futura, si vel solus vectis, vel solæ trochleæ fuissent adhibiti, sed majus etiam insufflandi robur postulatura: quemadmodum, quatuor his vesicis solitariis, citra concursum alius potentia, applicatis, non plus quidem ponderis quàm aliàs unâ mediantem, sed ad quadruplam tamen altitudinem efflari in sublimem potest.

Phæn. V.

IV. Hæc ita factò ipso tentata & cum successu, facile suggerebant animo (ut est natura experimentorum ferax admodum & foecunda) cogitata quædam alia, de possibilitate quantumvis aliam molem oris halitu multiplicato locomovendi, & mediocrem aliquam complurium librarum ad quamvis editioris etiam turris altitudinem hoc artificio, soloque adeò oris flatu mediante, sublevandi: quæ quidem etsi opere ipso nullo dum specimine sint comprobata, ingratum tamen haut futurum Lectori nostro speravimus, si modum utriusque imposterum forsan edendi, nostrâ opinione indubium, hîc in antecessum exponamus. Ac prius quidem, ut pondus aliquod ad præscriptam altitudinem attollatur, nullis aliis viribus adhibitis præter efflatum ore spiritum, nec aliâ machinâ motrice præter vesicariam nostram & eam quidem simplicissimam, putaverim alio apparatu opus haut esse, quàm ut gradatim per erectam quasi scalam affixæ vesicæ plures, suisque valvulis five ventilibus instructæ singulæ, inferior inflata eousque semper attolleret pondus appensum, ut hoc annulo suo prehendi posset ab unculo proximè superioris, quæ inflata idemmet uncino tertiæ &c. traderet: imò ne opus quidem esse vesicis pluribus quàm duabus, quæ alternatim altiore scalæ gradu suspensæ pondus attollendum alternis offerrent, donec id successu temporis destinatum sublimitatis locum attigisset. Posterius autem, jucundius multò futurum